



The Holy See

FRANCISCUS

EPISTULA DATA

MICHAËLI S.R.E. CARD. CZERNY, S.I.

Venerabili Fratri Nostro

Michaëli S.R.E. Card. CZERNY, S.I.

Dicasterii pro Integra Humana Progressione fovenda Praefecto

Qui filii Dei nominari possimus, pacis opera exercere est nostri atque Domini nostri, auctoris pacis et amatoris caritatis, Evangelium propagare, ut verbo et exemplo vitae populi semper proficiant ad salutem, iugiter fulgens in Ecclesia ubertate virtutum (cfr *Coll. Miss. B.M.V.*, 34: *Regina Apostolorum*, super obl. et post comm.). Qua in Iesu sustentati fide tantoque misericordiae innisi consilio, in universae Ecclesiae necessitatum studium incumbentes, potissimum laetamur de CXL anniversario ab incepta sub Decessoris Nostri beatae memoriae Leonis Pp XIII Pontificatu evangelizatione Congi, multorum Evangelii praeconum suffulta intrepido labore et caritate in Christum Salvatorem gentibus annuntiando.

Tantam ergo recolentes occasionem, ut inter sollemnia perfrui possent christifideles praesentia ac verbo alicuius Eminentissimi Viri, qui Nostras vices ibi gerat atque erga istum concursum dilectissimum dilectionem Nostram manifestet, Venerabilis Fratris Benvenuti Manamika Bafouakouahou, Archiepiscopi Brazzapolitani et Conferentiae Episcopalis Congi Praesidis, humanissimae petitioni concedentes, ad Te, Venerabilis Frater Noster, mentem Nostram vertimus, qui cotidiano in Nostro ministerio exercendo fraternum Nobis praestas auxilium ac praecipua Afrorum populorum comperis rerum adiuncta, necessitates ac spes, ut hodie peraptus videaris ad hanc legationem obeundam. Idcirco, hisce Litteris Te Missum Extraordinarium Nostrum nominamus ad sollemnia, quae proximo die IV mensis Iunii Brazzapoli agentur, exeunte CXL anno iubilari Evangelizationis Congi.

Libenter tibi potestatem facimus, dum celebrationibus praesidebis, illum coetum, publicas auctoritates atque universos christifideles Nostro nomine salutandi ac benedicendi, quos

cohorteris, ut, beatissima Virgine Maria Regina Africae, spe credentium et fidei praesidio, maternam suam caritatem dispensante, corda fidelium, Christo semper intimius adhaerendo, ab Eiusdem praeceptis trahere valeant virtutem, ex qua optata beneficia pacis, concordiae et profectus omnia manant. Simul, insuper, gravissimum Nostrum ministerium Petrinum precibus committimus universo coetui ibi congregato.

Dum tibi, Venerabilis Frater Noster, Benedictionem impertimur omnibus, qui celebrationi intererunt, transmittendam, legationem tuam ardentibus precibus comitamur, a Deo misericordiae suppliciter obsecrantes, ut hic conventus fidelium, hanc laetitiae occasionem affectu sedulo celebrans, quod recordatione percurrit semper teneat in opere.

Datum Romae, Laterani, die XXX mensis Maii, anno Domini MMXXIII, Pontificatus Nostri undecimo.

FRANCISCUS